

Rheinisches Urkundenbuch (Ed. Wisplinghoff) Nr. 326

(C.) In nomine sanctae et individuae trinitatis. Vuichfridus divina praedestinante providentia sanctae Coloniensis ecclesiae archiepiscopus. Noverit omnium sanctae dei ecclesiae fidelium praesentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos circa gregem dominicum nobis divinitus commissum debitae fidelitatis iura observando paternae dilectionis affectu incessanter curemus, quomodo fratres nostri et sorores videlicet sanctimoniales per singula monasteriorum loca deo digne vivere studeant et quam stabiles et prompti ad implendum divinum officium sibi iniunctum in suo claustro et in sua conversatione permaneant et utrum sibi sufficiens alimentum sit ac non. De hoc itaque mente sollicita nobis sedulo cogitantibus sciendum fuit, quod venerabilis congregatio sanctimonialium in sacro loco XI milium sanctarum virginum humatarum constituta deoque inibi toto cordis desiderio die noctuque deserviens copiosum non haberet victum per annum et ideo forsitan potuisse contingere eas occasione inde assumpta foras extra claustum sine licentia suarum magistrarum evagandi discursum exercituras esse ac deinde diabolo instigante in periculum animarum suarum incidere necessario debere, nisi dominus per magnam misericordiam suam propitiatus hoc fieri vetaret. Unde nostris fidelibus tam clericis quam laicis in nostram convocatis praesentiam statuimus cum communi omnium illorum consensus illarum paupertati et inopiae subvenire et ex nostrae ecclesiae rebus sub cotidiano stipendio quaedam necessaria impendere. Dedimus itaque eis in pago Iuliacense in comitatu Godefridi comitis in castello quod cognominatur Iulicha ecclesiam I cum manso et tribus territoriis ac dimidio, cum habitaculis in eis habitis, cum omni decimatione ad hanc pertinente, cum IIII iugeribus de pratis cum silva ad L porcos in ea saginandos. In eodem pago et comitatu in loco qui dicitur Lintlar curtem I cum casa ac mansum dimidium I. Similiter in villa Coxlar nuncupata curtes V cum casis in eis habitis, cum manso I ac dimidio, cum iugeribus VIII. In loco qui vocatur Ruodesthorp curtem I cum casa cum V iugeribus. Item in villa quae Munizu vocatur curtem I cum casa et cum VI iugeribus. In pago autem Bunnensi in comitatu Eremfridi comitis in villa Brunheim dicta mansum dimidium I. In comitatu vero Udonis comitis in villa Reinsa nominata ecclesiam I cum XXVII mancipiis et insuper VIII hominum beneficia, de prato ad duas carradas cum arpennis VI ac VIII particulis arpennarum. In loco Brua nominato in ipso scilicet comitatu sito iornalem I et dimidium. Haec omnia quidem superius comprehensa antedictis sanctimonialibus in supramemorato loco degentibus donamus in necessarium usum illarum ab hodierna die et deinceps habenda, ut ibi ob nostri memoriam et elemosinam proficiant in augmentis perpetualiter in dei nomine ad possidendum. Quam ob rem hanc cartam fieri iussimus manumque propria firmavimus manibusque bonorum et probabilium testium subtus descriptorum roborari fecimus, quatinus nullus successorum nostrorum hanc infringere vel emutare velit aut praesumat. Si quis autem hoc facere temptaverit, sentiat sibi continuo diram divinae ultionis plagam inferri et insuper tamen praesens nostrae auctoritatis largitio firma et inconversa usque in perpetuum perseveret.

Actum publice in loco iam sepe supra designato III non. augusti anno gloriosissimi regis Otdonis VIII in dei nomine feliciter amen.

Signum domni Vuichfridi archiepiscopi, qui hanc cartam fieri iussit et manu propria firmavit. Signum fratris eius Godefridi comitis. Signum Engilberti prepositi. Ratfridi presbiteri. Liutberti presbiteri. Adalhardi presbiteri. Gerhardi presbiteri. Raduuigi

presbiteri. Adalboldi presbiteri. Stephani presbiteri. Alfgeri presbiteri. Gislaberti presbiteri. Gerberti presbiteri. Uuolfridi diaconi. Odilonis diaconi. Adalgeri diaconi. Euerhardi diaconi. Meginheri diaconi. Gerhardi diaconi. Adalberti diaconi. Meginhardi diaconi. Heriradi laici. Gerhardi laici. Godefridi laici. Item Gerhardi laici. Irimfridi laici. Ruotboldi laici. Gerberti laici. Sigifridi laici. Beroldi laici. Guntrammi laici. Matfridi laici. Eremboldi laici. Uuerinboldi laici.

Ego Heribertus indignus presbiter atque cancellarius scripsi hanc cartam et (SR.)